

† R. P. Sinon Grogan (1857-1936)

(Prov. Toront.)

Huius optimi Redemptoristae vita in foliis periodicis *The Eikon* (Nov. 1936, p. 55) brevissime sic comprehenditur:

Natus in urbe Quebec d. 23 Febr. 1857. Annis 1857-1883 studiis incumbit in iuvenatu Provinciae Baltimorensis North East. 2 Aug. 1884 vota professus in domo Annapolis. 5 Aug. 1888 sacerdos ordinatus per Eñum Cardinalem Gibbons. 1888-1890 occupatur in sacro ministerio ecclesiae nostrae Bostoniensis, 1890-1901 similiter Toronti, 1901-1912 iterum Bostoniae, 1912-1915 in Novae Brunsvigae urbe S. Ioannis, tandem 1915-1936 denuo in Torontina civitate. Ibi insuper primum fuit Minister domus atque Consultor et P. Visitatoris et P. Rectoris, postea diu Provinciae Procurator, et d. 22 Sept. a. c. ibi in nosocomio S. Michaelis vita defunctus est.

In Patris Grogan funere sollempni d. 25 eiusdem mensis habito ipse Archipraesul Torontinus Exñmus D. Iacobus C. McGuigan in ecclesia nostra Missam cantavit et duo defuncti nepotes ministrorum sacrorum officiis functi sunt. Praeterea ex Canadensi et Foederatorum Statuum regionibus alii 50 presbyteri, partim confratres, partim alii, exsequiis interfuerunt.

Novus Provinciae Superior Pl. R. P. Iacobus Fuller in sua funebri oratione, a textu illo *Copiosa apud eum Redemptio* exiens, ostendit, quanta abundantia *vir ille simplex et rectus*, regularum observantissimus, Redemptionis fructus in plurimas animas immortales deduxerit, tum litando plentissime Missae sacrificio, tum contionando, tum piis exercitiis in honorem Matris de Perpetuo Succursu institutis, tum excipiendis confessiōnibus, tum invisendis aegrotantibus et morientibus. Quamobrem, etsi non erexerit monumenta exteriora, ut templa et coenobia, tamen quin in animabus christifidelium, fideliter munia sacerdotalia per 48 annos exercens, monumentum perenne reliquerit non est dubitandum. — R. I. P.

